

Dē serpente et būfōne

Caesar rēgnāvit in cīvitāte rōmānā, in cuius rēgnō erat quīdam mīles generōsus ac fortis. Accidit semel, quod per quandam forestam trānsire dēbēret, et ecce vīdit būfōnem et serpentem simul pugnāre, sed būfō praevaluit et serpentem dēvīcit. Haec vidēns mīles dē equō dēscendit et serpentem iūvit et būfōnem vulnerāvit, tamen per būfōnem graviter vulnerātus ēvāsit et fugam accēpit; sed venēnum būfōnis in vulnere mīlitis remānsit.

Mīles domum perrēxit et diū in īfirmitāte corporis remānsit, in tantum quod totāliter erat exinānītus. Testāmentum suum condidit et ad mortem sē parāvit. Cum vērō iuxtā ignem ūnō diē iacuisset quasi dē vītā suā dēspērātus, intrāvit serpēns, quem ā morte salvāvit.

Dīxērunt servī: “Dominus, quīdam serpēns intrāvit.”

Mīles cum illum respexisset, nōtitiam eius habēbat, quod serpēns ille erat, prō quō pugnāvit et omnia mala habēbat. Dīxit: “Nōlīte eī prohibēre! Crēdō enim, quod nūllum malum faciat mihi.”

Serpēns vērō cōram omnibus ad vulnus perrēxit et venēnum cum linguā lambit, quousque os plēnum habuisset. Deinde extrā iānuam aulae venēnum prōiēcit rediitque bis vel ter, quousque tōtum venēnum hauserat, et semper illud prōiēcit. Hōc factō mīles lac ad bibendum eī dēdit. Cum vērō sīc bibisset, būfō, quem mīles vulnerāvit et ā quō vulnus recēpit, intrāvit et cum serpente pugnāvit, ac sī esset in vindictam, quod serpēns mīlitem sanāset.

Mīles vērō cum hōc vīdisset, dīxit servīs suīs: “Cārissimī, sine dubiō ille est būfō, quem vulnerāvī in dēfēsiōne serpentis, et ā quō omnia mala recēpī. Sī serpentem superāvit, statim mē invādet; et sicut vītā meam dīligitis, illum occīdātis!”

Servī haec audientēs cum baculīs et fustibus illum occīdērunt. Serpēns vērō quasi applaudendō et regratiandō hinc inde circā pedēs mīlitis sē vertit et exīvit. Mīles vērō sanitātem perfectam recuperāvit.